

447

445

451

441

456

436

496

396

346

Ende

Anfang

432

justi. Et illud: escam dedit timentibus se. Unde numquam legimus, quod Deus suos electos fame mori permiserit. Martyribus enim ad hoc inclusis, ut fame necarentur, angelos misit, qui eis cibum de coelo attulerunt, (ut) frequentissime legimus. Et prophetas corvorum ministerio pavit, et sanctos patres, anachoretas, mirabiliter sustentavit. Et de dulcissimo patre nostro Dominico legimus, quod bina vice fratibus defectum panis patientibus transmissus fuit panis a Deo per angelos. Et si non mittit panem corporalem et visibilem, sustentat tamen mirabiliter suos electos virtute invisibili, sicut legimus de S. Catharina de Senis. Et idem datum est nobis nostra tempestate videre nostris oculis. Novimus enim eremitarum Nicolaum, commorantem in solitudine montuosa super Lucheriae lacum, jam ad XX annos vixisse sine omni cibo et potu. Quod tamen auditu est mirabile. Hunc virum ego vidi anno 1475.

In agro praedicto Abacuch reperiuntur lapilli rotundi et albi, ac si essent pisa alba. De hoc ostensores locorum dicebant quoddam puerile, quod tamen, sicut et alia puerilia, volo recitare. Dicebant enim, quod Dominus Jesus, dum quadam vice hic transiret, et quidam agricola hic pisa seminaret, et interrogavit eum Dominus, quid seminaret? respondit agricola irrigisse: semino, inquit, lapides. Ad hoc Dominus: fiat ergo, ut dicis. Et statim omnia pisa facta fuerunt lapilli, retinentes colorem et formam pristinam. De his lapillis collegimus pro nostro solatio. Venit mihi in memoriam ibi ager quidam prope Gislingen in quo infiniti lapilli illius formae inveniuntur, et eadem fabula ibidem pueris recitatur. Prope hunc agrum est cisterna quaedam, de qua quidam peregrinus opinatus est, quod sit cisterna Joseph, in quam missus fuit a fratribus, Genes. 37. Sed hoc non bene consonat cum Scriptura, quae dicit: cisternam fuisse in solitudine, nec ibi est locus Sichem, nec Dothaim. Ideo transivimus citius, nihilominus tamen sancto Joseph compassi, quantum malum invidia sit, contulimus, quae nullum prosperatum diligere potest, etiam si sit frater. Unde bene dicit Socrates: felicitas semper est subjecta invidiae; sola miseria caret invidia. In progressu ultra agrum et cisternam, est murus antiquus, altus, in via,

